Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 285
Quelle:
Copyright:

vimus. Exemplum praesens, prorsus ut illud, comparatum, sed paullo correctius exaratum est; ita in loco *Gisilberti* ibi adducto ad sensum longe melius legitur: *quae alio orationis membro excipitur*, quam: *quia alio* &c. Subscriptio hic ita sonat: *Sufficiant hec ad expositionem lamentationum hieremię. que de patrum fontibus hausi ego Gisilbertus antisiodorensis ęcclesię diaconus.* Et rubro: *Expliciunt threnę lamentationum Hyeremię Vatis.* Ceterum adi *Cod.* mox *cit.*

CVI. VII B. 8

85 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 220. f. per duas columnas probe exaratus, auroque et coloribus ornatus exhibet *Zachariae Chrysopolitani*, quod alii a patria *Vesuntione* quibusdam *Chrysopoli* dicta, alii a cognomine Anglico *Goldsborough* deducunt, non Episcopi, sed *Canonici Praemonstrat.* Abbatiae S. Martini Laudunensis, Scriptoris Sec. XII. *Expositionem ex PP. dictis contextam in Harmoniam Evangelicam*, non eam, quam *Tatianus* Syrus concinnavit Sec. II. quaeque habetur in *Bibl. PP. Lugd.* T. II. P. 2. p. 203. sub ejus saltem nomine; sed in eam, quam *Victor* Capuanus Sec. VI. e graeco traduxit incertus, *Tatiano*, an *Ammonio* Alexandrino Sec. III. Scriptori tribueret, quaeque in praedictae *Bibl.* T. III. p. 265. legitur, *Ammonioque* adjudicatur. Initium facit *Elenchus Locorum IV. Evangelistarum*, quae per Operis decursum exponuntur. Sequitur Excerptum *Ex omelia gregorij de IX. ordinibus Angelorum. Scripture testantur esse angelos* &c. Sumtum ex L. II. *Homil.* XXXIV. *in Evang.* Praefatio *Hier.* in *Matthaeum: Plures fuisse qui euangelia scripserunt* &c. sed non integra. Praefatio in Opus *Zachariae* longior tractans primo de generatione Filii Dei, dein de XII. Apostolis, demum de variis religionis officiis. Initium: *Augustinus libro XV. de trinitate. filius natus est de uirgine* &c. Finis: *De fide quoque habetur in libro isto. in fine secundi Libri.* Praefationem hanc, quae nec in *edit.* Zachariae *Colon.* 1535. f. nec in *Bibl. PP.* supracit. T. XIX. p. 732. reperitur, excipit *Hier.* Epistola ad *Damas. Nouum opus facere me cogis* &c. tum *vita IV. Evangelistarum* multum ab iis diversa, quae in editis legitur. In vita *Lucae* notari meretur illud: *uxorem nunquam habuit, filios nunquam procreauit;* unde fortasse in posterioribus *Platinae de Vitis Pontiff.* editionibus illa profecta est emendatio: *Uxorem non habens in Bithynia.* A *fol.* 19. incipit *Syllabus triplex Evangeliorum* scil. Ferialium, de Sanctis, et Dominicalium per annum in ecclesia legi solitorum, quem consequuntur et quidem eleganter picturati X. illi *Concordiae Evangelistarum Canones*, quos occasione capta ex *Ammonii* Harmonia condidit *Eusebius Caes.* ut ex ejus ad *Carpianum* epistola liquet,